



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae  
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Franciscus Tituli Sanctae Mariae in Via Cardinalis Albitius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

illi corona Iustitiae : Sancti scilicet denominatio , quam per  
Sanctitatem Vestram ei reddendam esse non dubito.

**Franciscus Tituli Sanctæ Mariæ in Via  
Cardinalis Albitius .**

**P**rotractus est , Beatissime Pater , non sine Spiritu Sancti in-  
stinctu , rei arduæ , atquè difficillimæ exitus ; vt à Sanctitate  
Vestra , quæ Patronum , & Protectorem agnoscit Augustinum ,  
Filius Augustini in Sanctorum numero collocetur . Sanctitas er-  
go Vestra , quæ veluti iure clientelæ , Religiosam sanctissimi Pa-  
tris familiam pluribus beneficijs cumulauit , quæ eius templum  
non modò instaurauit , sed magnificentissimè extruxit ; hunc illi  
sacrum honorem addere non dubitet : vt Cæli , lætentur exultet  
Terra : & Vestra Sanctitati inuicem gratulentur . Praeclara ete-  
nim merita , & heroicæ virtutes Beati Thomæ id expostulant ; illa  
præsertim in proximum prolixa charitas ; illa in egenos profusa  
liberalitas . Nam qui in peccatores , & pauperes misericos est , is  
Deus est . Sanctitatis Vestra pietas id suadet ; temporis denique  
ratio exigit , vt hisce diebus , quibus , abundante nequitia , Cha-  
ritas refrigescit , vera Charitatis Imago , Te iubente , Te Duce , Te  
triumphante , Beatissime Pater , ducatur in triumphum .

**Octavius Tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalis  
de Aquauia .**

**C**um Beatus Thomas de Villanova miraculorum præstantia  
fulgens , & Charitatis ardore coruscans , Diuini amoris  
Cereus , uno omnium ore consueuerit appellari diuinem erit  
Sanctitatem Vestram , cui datum est , clauibus Regni cœlorum  
Cœlitum choros penetrare , & regnantes in gloria , sanctioris  
cultus corona decorare ; lumen idem diu sub modo positum ,  
super Candelabrum publicis in aris exponendum censeo , vt lu-  
ceat omnibus , qui in Ecclesiæ Domo sunt . Ipse enim virtutum  
radijs emicans sydus , terris eruptus in Oceidente , adorabitur